

*fiteor* vel Confessionem Generalem, non minus animo quàm Corpore profundè inclinatus, inspice horribiles piacularium flammaram vortices, ac in his voluntates sursum deorsum misellas animas, tristissimis gemitibus, & ingeminato lamentabili carmine suo: *Miseremini mei, miseremini mei* &c. tibi supplicantes, & complicatis manibus auxilium orantes, ut hoc pro se sacrum Deo devotè offeras. *Posthac* reliquas Sacri partes, si illud præsertim defunctis proprium sit, eò commiserationis affectu decurre, quem verba ipsa suggerunt. *Ad Offertorium* repræsentalis æternò Patri in unione meritorum Christi filij sui, & Sacrificij cruenti ab eo in ara Crucis oblatis; idem ipsum incruentum Sacrificium ex motivis supra cap. 3. per varios actus Sanctarum intentionum deductis. *Ad Sanctus* Cœlestes Choros SS. Angelorum invoca, ut proni coram DEI throno tecum pro defunctis Divinam Majestatem supplices deprecentur. *Ad elevationem sacra Hostia*, vide animas tecum Christum sub consecrata Hostia adorantes, conversusque ad eundem dic. *Domine IESU Christe per Cruciatum, agoniam, & mortem tuam quam pro fidelibus defunctis in cruce subijsti, Misereere eorundem, pro quibus mori dignatus es. illius præsertim vel illarum NN.* *Ad Elevationem Calicis* Christum obsecra per profusum abundantissimè in cruce, usque ad ultimam guttam, Sanguinem, ut divinissimi illius cruoris